

pla similia lapidum immense magnitudinis è nubibus delap-
 sorum prostrare, probant *Olaus Magnus, Cardanus, Libavius l. 1.*
Singul. p. 272. Idem (Anaxagoras) in maximâ siccitate pluviam
 prævidit, indeque habitus pro Deo est. Sic Cyrus, referente
Herodoto l. 1. cui naturalis Camelorum & Equorum antipathia
 nota erat, cum Cræsus multam militum & equorum manum
 in ipsum duceret, Camelos in fronte aciei posuit, quos cum e-
 qui hostium olfacerent, illicò avertère se, rectoresque suos se-
 cum in fugam abripuère. Sic *Æsculapius à Galeno l. 3. o. 7.* Methi
 tanquam abstrusissimarum rerum peritissimus deprædicatur,
 cur, inqvies, Jaspis tacto vulnere, unde sanguis prorumpit,
 eum sistat, nondum novi. Atque si particulatim cujusq; natu-
 ram explorare ad ungvem scirem, utiq; qualem fuisse *Æscula-*
pium mente concipio, talem me esse putarem.

§. 3. *Præctica* est operum admirandorum effectio. Quæ
 tamen Physicæ considerationi subjicitur non per se & directè,
 sed per accidens & indirectè, quemadmodum & illi non sine
 fructu Chymicorum operationes subjiciuntur, & in Mathesi
 beneficio Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ & Opticæ
 non rarò egregia producantur opera absque jactura scientiæ.
 Tractat Physicus præcticam Magiam, ut sciat, non ut faciat. Et
 huc Joh. Baptist. Porta & Hildebrandi Magia naturalis spectata
 Huc Archimedis Machina, quâ triremes hostium incendit tan-
 tasq; edidit strages, ut illi terrore perculsi non contra homines
 sed contra Deos se pugnare dicerent: Huc Alberti Magni sta-
 tua vocalis à Thoma Aquinate confracta, triginta annorum
 opus: Huc Architæ Tarentini columba lignea, & Joh. Regio-
 montani aquila & musca ferrea volatilis: Huc Cornelii Dre-
 belii stupenda & prodigiosa sphaera, totius universi represen-
 tatrix: Huc Scaligeri navicula spontè mobilis ac sui remigii
 autor: Huc, quibus seculum nostrum cum primis superbit, Ty-
 pographia, Bombardarum inventio, Pyxis Nautica. Et qui o-
 pera talia intueri adeò gestit, is modò Dresdam hisq; rebus ibi
 à Serenissimo nostro ac Clementissimo Nutritio dicatum lo-
 cum adeat, ubi opera admiranda & stupenda plurimaque non
 sine stupore quasi in compendio intuebitur.

§. 4. Cate.